

titati mittere curavimus, ut pro magno munere ibi à te conservetur: ipse quoque supradictus papa omnino petiit, ut ea quæ ipse authorisavit, nos more regio laudaremus, atque confirmaremus; quod fecimus annulo nostro subter signantes, et in omni nostro regno, comitibus, sive iudicibus, atque omnibus regiam quem administrantibus litteras nostras direximus, ut nullus huic prædicto nostro cœnobio ullo modo audeat inferre calumniam; nam indecens est et non equum ut tam religiosum locum benedictione apostolica dedicatum, scilicet, et meritis suis præcelsum; colla subdere, et non solum subdi, atque obsequi, quin etiam sua largiri. Damus vobis itaque, præter illa municipia quæ dudum concessimus, alia quoque ad nostram sedem regiam pertinentia, videlicet montem quem vocant sancti Vincentii, cum rebus indominicatis ut episcopatu cabilonensi consistentibus, cum vineis, pratis, campis sylvis, pascuis, memoribus, aquis, aquarumve deductibus, concedimus etiam in episcopatu Maticouensi, ecclesiam sancti Remigii, et ecclesiam sancti Pontii, cum omnibus appenditiis eorum; in episcopatu etiam Lugdunensi ecclesiam quæ dicitur ad Sanctas, et omnem terram, sicut vallis Hergo consistit, et sicut aqua quæ dicitur à Selgo, cum villulis in eadem valle manentibus, et mancipiis eorum; hæc etiam addo villam quæ dicitur Balasono cum ecclesia, et omnibus appenditiis suis, quæ sita est juxta Saugonam flumen, omnia prænominata tibi et fratribus in dicto cœnobio commemorantibus, tam presentibus, quam futuris, per nostri privilegii firmitatem tribuimus, quatenus pro salute nostra, vel regni nostri prosperitate incessanter Dei omnipotentis clementiam exoretis. Hoc autem donum frater meus Theodericus, ob amorem tui laudavit atque concessit. Actum est hoc donum sive privilegium in civitate Parisiis, anno quinto Childerici Regis.

## C.

## PERMISSION DE L'EMPEREUR LOTHAIRE AUX RELIGIEUX DE NANTUA D'ÉLIRE UN ABBÉ.

(Extrait du Cartulaire de l'Église de Nantua, par GUICHENON, Histoire de Bresse et Bugey, p. 214.)

In nomine Domini nostri Jesu Dei æterni: Lotharius divina imperante providentia imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesie et nostris, presentibus videlicet et futuris, notum sit, quia Monachi Nantuacensis monasterii nostræ retulerunt celsitudini, quod a quibusdam peregrini abbatibus aliunde venientibus res ecclesie illarum, unde victum vestitumque habere continuatim debebant, seu unde familia ejusdem loci servitium illis impendere solita erat, expoliabantur, et consumebantur, talique pro causa famulatum Dei omnipotentis in jam dicto loco implere nequibant, unde nostram necessariam proclamaverunt inibi inquisitionem, et ut eam illis rite concederemus petierunt. His retentis, illuc nostros direximus missos, qui fideliter magnaue diligentia ea investigarent, qui vera omnia renunciaverunt ab eis præfata. Quare interrogavimus, quid inde vellent, et flexis poplitibus nostra deosculantes vestigia unanimiter exclamaverunt, ex se ipsis velle habere abbatem; quorum petitionibus ob beati Petri apostolorum principis venerationem, in cujus honorem memoratum cœnobium constat esse a beato Gregorio papa dedicatum, assensum præbentes, hos serenitatis nostræ apices fieri jussimus, quibus concedimus, modisque omnibus statuimus, quod omni deinceps tempore, de se ipsis quemcumque voluerint eligant abbatem, et nullum aliunde recipiant, nisi illum quem unanimitas illorum propriusque assensus elegerit, atque voluerit, quod si quaelibet persona nostro usquam tempore ac successorum nostrorum, contra hoc factum insurgere voluerit, nostramque voluntatem inquietam reddere tentaverit, monachosque jam in dicto loco degentes interturbaverit, libras auri triginta persolvat, atque sanctum Petrum in die obitus suffragatorem non sentiat et iram Dei omnipotentis omniumque sanctorum suorum pleniter incurrat, quod hoc præceptum a successoribus nostris ita roboretur, et inviolabiliter servetur, quatenus nobis præmium per beati Petri intercessionem à Domino detur, illique æternalis pœna, qui hoc scriptum non observaverit administratur, et ut hanc nostram auctoritatem nemo unquam violare præsumat annulo nostro subtus jussimus sigillari.